



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita
accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum
notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum
Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 87. Vtrum omnipotentia diuina ponatur formaliter in manu liberi arbitrij
per aliquid intrinsecum libero arbitrio, vel potius per decretum
disiunctiuum extrinsecum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

auxilijs non esset consensurus, nollem creare Petrum, vel nollem illi dare hanc potentiam proximam, & hæc auxilia; sed posito hoc decreto, verificatur hæc secunda propositio; ergo &c.

13. Ad 3. distinguo maiorem: vt Petrus sit liber ad conuersionem, vel ad negationem conuersionis, requiritur, vt Deus sit paratus concurrere cum Petro ad conuersionem, vel permittere negationem conuersionis, ex suppositione horum auxiliorum, & huius potentia proxima, concedo: requiritur, vt sit paratus non solum ex suppositione, sed vt sit paratus ponere ipsam suppositionem, nego: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam, & non conuertendum solum ex suppositione, quod habeat hæc auxilia, & hanc potentiam proximam, sed non est liber ad ipsam suppositionem; ergo sufficit, quod Deus sit paratus concurrere ad conuersionem, vel permittere negationem conuersionis ex suppositione horum auxiliorum, non requiritur, vt sit paratus ponere ipsam suppositionem; sed Deus habet decretum, quo dicit, quia video, quod si dederò Petro hæc auxilia, conuerteretur, volo illi dare hæc auxilia, & volo vt conuertatur; & si viderem Petrum per hæc auxilia non conuertendum, ex suppositione, quod darem talia auxilia, vellem permittere negationem conuersionis, sed nollem ponere illam suppositionem, ac non vellem dare hæc auxilia, quæ viderem fore inefficacia, sed vellem dare alia, quæ viderem fore efficacia; ergo Deus habet decretum, quo est paratus permittere negationem conuersionis ex suppositione horum auxiliorum, & huius potentia proxima, licet non sit paratus ponere ipsam suppositionem horum auxiliorum, & huius potentia proxima.

14. Ad 4. distinguo maiorem: qui caret aliquo necessario ad se conuertendum carentia consequente ad suam liberam non conuersionem vt conditionatè futuram, adeoque indirectè impedibili, non est liber ad se conuertendum, nego: carentia omnino antecedenti, & nullo pacto impedibili, concedo: distinguo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Qui caret prædefinitione necessaria ad conuersionem, idè caret, quia Deus videns, quod si dederit hæc auxilia, cum quibus poterit conuerti, liberè conuertetur, dat talia auxilia, non prædefinendo conuersionem, sed permittendo negationem conuersionis; ergo carentia prædefinitionis necessaria ad conuersionem sequitur liberam negationem conuersionis vt conditionatè præuisam, adeoque Petrus liberè se conuertens potest indirectè impedire talem carentiam prædefinitionis, & indirectè determinare prædefinitionem conuersionis; sed qui caret aliquo necessario ad actionem carentia consequenti, & impedibili, est liber ad actionem: e. g. qui sedet, adeoque caret negatione sessionis necessaria ad ambulandum, est liber ad ambulandum, quia caret negatione sessionis carentia consequente ad

hoc, quod liberè nolit ambulare, & velit sedere, & ita vt ambulando possit habere negationem sessionis, & impedire carentiam talis negationis; ergo.

15. Hinc patet, quo pacto non prædestinatus sit liber ad consequendam salutem, licet careat prædestinatione necessaria ad consequendam salutem. Deus enim dat hæc auxilia sufficientia, paratus per illa prædestinare, si cum illis liberè perseueremus in gratia, & idè per talia auxilia non prædestinat, sed reprobatur, quia per scientiam median videt illum non perseueraturum; ergo carentia prædestinationis per hæc auxilia est consequens liberam, non perseuerantiam vt conditionatè futuram, idèque est indirectè impedibilis à non prædestinato, & non auferens illi libertatem ad consequendam salutem.

QVAESTIO LXXXVII.

Vtrum omnipotentia diuina ponatur formaliter in manu liberi arbitrij per aliquid intrinsecum libero arbitrio, vel potius per decretum disunctiuum extrinsecum?

V Idetur, quod per decretum disunctiuum. Nam posito quocunque intrinseco voluntati, ac præcedente actum liberum, Deus potest nolle concurrere cum voluntate ad vllum actum liberum; sed posita omnipotentia in manu liberi arbitrij, Deus non potest nolle concurrere cum voluntate ad actum liberum; ergo diuina omnipotentia non ponitur vltimò in manu liberi arbitrij per aliquid intrinsecum voluntati, & præcedens actum, sed per decretum, quo Deus vult concurrere cum voluntate ad hunc, vel illum actum.

2. Respondeo, quod quia nostræ actiones liberæ sunt indiuisibiliter simul actiones nostræ, & actiones diuinæ omnipotentia, Deus eo ipso, quod dat nobis potentiam proximam faciendi hanc, vel illam actionem liberam, dat potentiam proximam determinandi nos ipsos simul, & diuinam omnipotentiam ad concurrendum in actu secundo ad hanc, vel illam actionem liberam, puta vel ad concurrendum ad actum, quo volumus obseruare præceptum, vel ad concurrendum ad actum, quo volumus transgredi præceptum; sed per hoc ipsum, quod proximè possimus determinare diuinam omnipotentiam, habemus quodammodo omnipotentiam in manu liberi arbitrij; ergo eo ipso, quod Deus dat nobis potentiam proximam faciendi hunc, vel illum actum liberum, dat quodammodo suam omnipotentiam in manu liberi arbitrij. Hoc posito, quæritur, per quid liberum arbitrium vltimò constituitur proximè potens determinare diuinam omnipotentiam ad hunc, vel illum actum, per aliquidne nobis intrinsecum;

Kk

vel

vel per diuinum decretum disiunctiuum extrinsecum nobis, sed intrinsecum, & essentielle potentia proxima ut tali?

3. Dicendum: probabilius est nos ultimo formaliter constitui proximè potentes determinare diuinam omnipotentiam, non per decretum extrinsecum, sed per qualitatem intrinsecam voluntati.

4. Probatur primò: nam qui peccat e. g. experitur euidenter se proximè obligari ad non peccandum: sed proxima obligatio ad non peccandum includit potentiam proximam non peccandi; nemo enim proximè obligatur ad id, quod proximè non potest; ergo qui peccat, experitur proximam potentiam non peccandi; sed non posset experiri se proximè posse, nisi experiretur vltimum complementum, quo constituitur proximè potens, & si omnia, quæ experitur, essent coniungibilia cum negatione potentia proxima; ergo experitur vltimum complementum, quo constituitur proximè potens non peccare; sed non experitur decretum extrinsecum Dei, quod proculdubio non potest cadere sub nostram experientiam; ergo vltimum complementum, quo constituimur proximè potens non peccare, non est decretum extrinsecum, sed est aliquid nobis intrinsecum. Si quærat, quid sit? dico, quod est qualitas vltimò completiua potentia proxima libera, quæ proinde reducitur ad secundam speciem qualitatum, quæ species continet potentiam, & impotentiam. Explicatur. Aristoteles in prædicamentis cap. de quali diuidit qualitatem in quatuor species: prima est habitus, & dispositio; secunda potentia, & impotentia; tertia passibilis qualitas; quarta forma, & figura. Omnia igitur complementa, potentialium in ratione potentia sunt qualitates secundæ speciei.

5. Probatur secundò: nam posito, quod Deus per scientiam mediam videat, si Petrus habuerit hanc potentiam proximam ad se conuertendum, vel non conuertendum, se conuertet, per decretum prædefinitiuum dicit, *volo dare Petro hanc potentiam proximam, cum qua video Petrum conuertendum, & volo concurrere ad conuersionem*, nolo concurrere ad actum oppositum conuersionis; sed potentia proximè libera iuxta opinionem, quam impugnauimus, constituitur vltimò per decretum, quo Deus dicit: *volo cum Petro concurrere, vel ad conuersionem, vel ad actum oppositum conuersioni*; ergo Deus per decretum prædefinitiuum dicens: *volo dare Petro potentiam proximam &c.* dicit *volo velle concurrere cum Petro ad consensum, hoc est ad conuersionem, vel ad actum oppositum, & volo concurrere ad consensum, hoc est ad conuersionem, & non ad actum oppositum*, quod repugnat, adeoque decretum disiunctiuum repugnat prædefinitiuo.

6. Dices primò: Petrus constituitur proximè potens se conuertere, vel non conuertere, per aliquod decretum; sed omnia, per quæ constituitur proximè potens se conuertere, vel non conuertere, sunt coniungibilia tum

cum conuersione, tum cum negatione conuersionis; ergo tale decretum est coniungibile tum cum conuersione, tum cum negatione conuersionis; sed decretum prædefinitiuum conuersionis non est coniungibile cum negatione conuersionis; ergo Petrus non constituitur proximè potens se conuertere per decretum prædefinitiuum; ergo per disiunctiuum.

7. Respondeo, distingo maiorem: Petrus constituitur proximè potens formaliter per aliquod decretum, nego; radicaliter, concedo; distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Petrus constituitur formaliter proximè potens se conuertere, vel non conuertere, per cognitionem indifferentem, per auxilia indifferentia, & per vltimum complementum, per quod diuina omnipotentia constituitur in manu Petri: per decretum verò constituitur proximè potens non formaliter, sed radicaliter, & efficienter. Cum enim illud sit decretum dandi Petro proximam potentiam, talis proxima potentia est obiectum volitum contradistinctum à decreto. Iam omnia, per quæ Petrus constituitur proximè potens formaliter, sunt indifferentia, & coniungibilia tum cum conuersione, tum cum negatione conuersionis; at non omnia, per quæ constituitur proximè potens efficienter, sunt indifferentia. Constituitur enim proximè potens efficienter per omnes causas potentia proxima; sed ex dictis quæst. 85. & 86. inter causas potentia proxima recensentur scientia media, & decretum prædefinitiuum, quæ causæ non sunt indifferentes; ergo &c.

8. Dices secundo: Petrus constituitur proximè potens formaliter per hoc, quod Deus sit paratus concurrere ad consensum, vel ad dissensum; sed Deus est paratus per decretum; ergo &c.

9. Respondeo distingo maiorem: Petrus constituitur proximè potens formaliter per hoc, quod Deus sit paratus physicè, concedo; sit paratus intentionaliter, nego; distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Petrus constituitur proximè potens per hoc, quod Deus sit paratus physicè concurrere, vel ad consensum, vel ad dissensum; sed Deus est paratus physicè concurrere ad consensum, vel ad dissensum per hoc, quod omnipotentia sit formaliter in manu Petri; omnipotentia autem constituitur formaliter in manu Petri per vltimum complementum potentia proxima; ergo Petrus constituitur proximè potens formaliter per vltimum complementum potentia proxima. At Petrus non constituitur proximè potens formaliter per hoc, quod Deus sit paratus intentionaliter concurrere, vel ad consensum, vel ad dissensum; sed Deus est paratus intentionaliter per decretum prædefinitiuum, ut explicatum est questione 86. num. 13. ergo &c.

10. Ex dictis explicari potest obiectum scientia media tum per modum hypothæsis, seu

sen conditionis, tum per modum conditionatæ affirmati. Obiectum per modum conditionis est liberum arbitrium indifferens, & proximè potens determinare se ipsum, & diuinam omnipotentiam ad actum, vel ad omissionem actus; & quia liberum arbitrium constituitur ad hoc proximè potens per cognitionem, per auxilia indifferencia, & per omnipotentiam traditam in manu creaturæ qualitate ultimo complente potentiam proximam liberam; ideo obiectum scientiæ mediæ per modum conditionis est liberum arbitrium præuentum talibus cognitionibus, & auxilijs indifferantibus, & qualitate, qua habet in sua manu diuinam omnipotentiam.

11. Obiectum conditionatè affirmatū primo sunt actus liberi, ad quos, posita conditione, liberum arbitrium directè determinaret se ipsum, & diuinam omnipotentiam; & quia liberum arbitrium e. g. se ipsum, & diuinam omnipotentiam determinaret ad efficiendum consensum, ideo obiectum conditionatè affirmatum est, quod liberum arbitrium, si haberet hanc potentiam proximam, determinaret se ipsum, & diuinam omnipotentiam ad efficiendum consensum. Secundò obiectum conditionatè affirmatum sunt actus diuini, per quos Deus si velit purificare, & ponere conditionem, debet illam purificare; & quia si Deus velit purificare conditionem dandi libero arbitrio hanc potentiam proximam, ex qua est secutus consensus, debet illam purificare per decretum prædefinitium, ideo Deus conditionatè affirmat, quod si dederit hanc potentiam proximam, dabit per decretum prædefinitium consensum. Totum igitur obiectum conditionatè affirmatum est: Si dederit hanc potentiam proximam, liberum arbitrium consentiet, & ego illam dabo per decretum prædefinitium consensum; vel, si dederit hanc potentiam proximam, liberum arbitrium dissentiet, & ego illam dabo per decretum prædefinitium dissensus. Porro totum obiectum conditionatè affirmatum est determinatione consequens ad conditionem, hoc est ad potentiam proximam, quæ est indifferens ad determinandum hoc, vel oppositum obiectum conditionatè affirmatum, puta consensum, vel dissensus.

12. Debet aduerti, quod eo ipso, quod ex parte conditionis ponitur aliquid essentialiter connexum cum obiecto conditionatè affirmato, non assignatur obiectum scientiæ mediæ, sed scientiæ simplicis intelligentiæ. Ratio est, quia omnis veritas etiam conditionata, si sit necessaria, est obiectum scientiæ simplicis intelligentiæ; obiectum autem scientiæ mediæ est veritas conditionata contingens; sed eo ipso, quod ex parte conditionis ponatur aliquid essentialiter connexum cum obiecto conditionato, veritas conditionata est necessaria; ergo &c. Probatur, & explicatur minor. Si enim Deus dicat: Si dederit auxilium A, & prædefiniam consensum, liberum arbitrium consentiet, vel si dederit auxilium A, &

permittam dissensus, liberum arbitrium dissentiet, tales veritates conditionatæ sunt necessariæ propter essentialem connexionem conditionis cum obiecto conditionato; ergo sunt obiectum affirmatum, non per scientiam mediæ, sed per scientiam simplicis intelligentiæ; ergo ut assignetur obiectum scientiæ mediæ, omnia essentialiter connexa cum actu libero conditionatè affirmato debent poni ex parte obiecti conditionati, ita ut Deus dicat ex. gr. Si dederit Petro auxilium A, consentiet, & tale auxilium erit efficax, & ego prædefiniam consensum, & dabo auxilium A ex directione scientiæ mediæ de consensu conditionatè futuro.

13. Ad argumentum in contrarium, nego maiorem, & assero instantiam. Posito, quod aliquis euidenter cognoscat se hic, & nunc obligari ad obseruandum aliquod præceptum positium, puta dandi eleemosinam, Deus non potest nolle concurrere cum voluntate ad actum liberum; sed talis cognitio est homini intrinseca; ergo posito aliquo intrinseco homini etiam præcedente actum liberum, Deus non potest nolle concurrere ad actum liberum; ergo etiam posito complemento, per quod voluntas constituitur ultimo potens se determinate, quod complementum cadit sub experientiam, Deus non potest nolle concurrere ad actum liberum. Ex allata instantia patet non esse absurdum, quod posito aliquo creato, Deus non possit negare concursum.

TRACTATVS VII.

De Arcano Trinitatis Mysterio.



OSTQVAM S. Thomas primis 26. quæstionibus egit de Deo ut vno, à quæstione 27. vsque ad 43. inclusiue agit de Deo ut Trino, ac de arcano Trinitatis Mysterio. Doctrinam S. Doctoris examinabimus quæstionibus, quarum tituli videri possunt in indice initio proposito.

QVÆSTIO LXXXVIII.

Vtrum in Deo dentur dua processiones ad intra, per quarum unam producatur Verbum, per aliam Spiritus Sanctus.

S. Th. q. 27. a. 1. 2. & 3.

1. Videtur, quod in Deo nulla detur processio realis ad intra. Quidquid enim est in Deo, est ipse Deus, adeoque est à se, & est primum principium; sed enti à se, ac primo principio repugnat, ut sit, ac procedat.

Kk 2

ab